

ad f. 15. st. 15.

De latinitate linguae dignitate et
quanti etiam a Principibus et summis
magistris in Republi. aens. habebatur.

II C
102

D E C A N V S
ORDINIS PHILOSOPHICI
IN
ACADEMIA VVITTEBERGENSI
GEORG. GVILIELMVS
KIRCHMAIERVS
POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS
ET SAXON. PRINCIPIS EL. CONSILARIVS
GRAEC. LITERARVM PROF. PYBL
HOC TEMPORE
IMPERIALI AVCTORITATE CONSTITVTVS
COMES PALATINVS
PHILOSOPHIAE ATQ. ARTIS POETICAE
CANDIDATIS

SALVTEM DICIT

EOSQ. AD SOLENNIA DIE XXX APRIL
 ANNO INSTAVRATAE SALVTIS
 RITE CELEBRANDA
 INVITAT



HALLE
(SAALE)

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
BONN-CENTRAL LIBRARY

Gaudete nostro, gaudete uestro, gaudete etiam publico, nomine.
ad huc honor studiis durat. Liceat uos, Candidati sapientiae,
et ingenuarum artium, clarissimi, iisdem fere adhortari uer-
bis, ac commonefacere, quibus, libro quarto epistolarum, ad-
hortatus est Valerianum Paullinum suum Plinius, alter seculi argentei
Cicero, incredibili tanquam gaudio triumphans, quod, tam insolito pla-
ne tum audientium concurfu, plausuque, dixerat in foro, ut, prae mul-
titudine, non, nisi per iudices, et a tribunali, patuerit ipsi locus ade-
undi. Ego uero, et uobis, et cunctis, literarum diligentibus, laetitiae
nunc materiam inde praebuerim, infinitis partibus ampliorem, quod
augustissimi, simul et Latine doctissimi, Imperatoris, Caroli VI, filia au-
gusta, Maria Theresia, Franciso III, magno Hettruria Duci, nupta
nuper, Latinis uerbis, haud incomitis, faulta precanti soleanniter, Aca-
demiae Vindobonensis Prorectori, Oppenrittero, de solio splendi-
diore, publice fuit nunciata sic respondisse, *gratum nobis accidit,*
quod alma Vniuersitas se nostri memorem bodie sstat. Si clementissimus
Deus nobis benixerit, non tantum bonae patriae, sed etiam Vniuersitati,
addictae erimus, eique gratiam, et benevolentiam nostram, appro-
babimus. De Musis, humanitatis omnis, et doctrinae, alumnis, iisdem
que Ioue natis, mira narrant prisca poetarum monumenta, quae ta-
men commentitiae sunt fabulae de diis, deabusue, ex superstitiosorum
hominum certius, quam Minerua ex facti Iouis, cerebro procreatis.
Verum Iouem, praepotentem literarum statorem, uerum Apollinem,
praesidem studiorum, usurpaueris appellauerisque Carolum VI, ac filias
eius Musas ueras, tantum, inter mortales sui sexus, fastigium promeritas,
atque, in diuarum, quas iure ita uocaueris, numero, omnium eminentissimas.
Sermonis Latini deliciis adeo sunt captae, ut ambae augustissimos
Parentes, ex thermis Carolinis, A. CIO IO CC XXXII, per Lincum, redu-
ces, confirmatam, saltuberrimo ipsarum usu, valetudinem, oratiunculis
Romanis, gratulabundae, exciperent, dignissimae auo, Leopoldo, ne-
ptes, qui, auctore Carolo Patino, tam promtus et exercitatus fuit ad
dicendum Latine, et id tam ornate, ut moueret admirationem. Pu-
deat ergo homines seculi nostri, quibus Latinae studium linguae
tantum fordet, ut leue, ac summorum perfonis principum prorsus iu-
dident indignum, idque ad perpetuos ferme scholarum carceres,
nescio quo stultissimae opinionis errore, damnent, malintque ipsi
barbare, et obscure, mentis suae explicare sensa, quam pulcre, proprie,
et aperte. Nec ad hoc sat is sit, uti de stylo opinatur uulgaris, uel ex
uocabus, tum singulis, tum coniunctis, quas Φεδοεις Graeci dicunt,
ex uocabulorum commentariis, compilatis, inuita, quod aiunt, Miner-
ua, id est, repugnante ingenio, fabricare dictionem, et construere,
sed altius, ex intimis oratoriae artis, et eruditae Grammatices, recessi-
bus, arcessendum elocutionis artificium, adiumentumque, paucissi-
mis omnino perspectum. Doctos nouimus homines, qui elaboratu-
ri quid, Latio ueteri dignum, omnes orationis perfectae numeros
aucupari sibi uidentur, omnes carpere flosculos, si Nizolios, Stephanos,
Fabros, alias, thesaurorum inuentores, haud secus, atque Apollinis ora-
culum, consulant, ac formulas inde dicendi corrardant, et coagmentent,
non naturali tamen linguae elegantia, munditia, perspicuitate, quae, ma-
xima uirtus, et artificibus saepe deest, sibi iunctas, ac minus, ueluti calx
sine arena, cohaerentes. Non enim consequitur, ut, qui Latine scri-
bunt,

bunt, scribant Romano loquendi more, seu, forma dicendi, succo quasi,
et sanguine, dictionis Romanae, seculi aurei, argenteue optimi, per-
lita, instar mellis, ab apibus, ex multis, et uariis, floribus, confecti.
Quamobrem, in uita Attici, apud Nepotem, natius lepor ab ascito
probe internoscitur, et ipse Atticus laudatur sic Graece locutus, ut Athe-
nis natus uideretur, naturamque, in Graecis, non minus fautricem ha-
buisse censendus, quam poeta, qui, uulgari prouerbio, fieri non pot-
est. Satis autem causae est, cur linguae huic eruditorum, a regibus,
principibus, et aliis uiris illustribus, nostra memoria, habitum hono-
rem tanto intentioribus oculis acerrime contemblemur, eique gratulem-
ur, quanto turpius, pro dolor, tempestate hac, barbariae fere plena,
deridetur illa, illuditur, et, uel in scholis quibusdam, monstri instar, ac
prodigii, formidatur. At uero, omisso uulgo, male fano, gaudendi ma-
teriam in nostrorum heroibus temporum, ac terrarum dominis, qua-
ramus, licet, qui Latine differendi consuetudinem, haud plebeiam, perin-
de, ac delicias suas, et amores, data quauis occasione, testificantes, iner-
tissimis hominibus suam exprobrant inficitiam, pigritionamque. Romae
nuper, Mensa Maio, exiit in uulgo, et hinc longe lateque emanauit
rumor, praesentem ibi tum Saxonum Iuuentutis Principem Regium, na-
tu maiorem, Fridericum Christianum, annorum septendecim, cum
sex honoratioribus diuersarum nationum, iisdemque doctissimis, qui,
uenerandi causa, apparuerant, diuersis, cuiusque domesticis, et uerna-
culis, sex linguis, Latii cum primis antiqui propria, attonitis audien-
tibus, esse sermocinatum, ut ipsi ideo τολυγλωττου nomen, Friderico
olim II, Imperatori, impositum, uix denegares. De Principe, Lichten-
steinio, oratore, apud Gallos, Caesareo, duobus ante annis, nunciatum,
Lutetiis Parisiorum, eundem primo, eoque magnificentissimo, ad
Regem, Ludouicum XV, aditu, Latialis genere allocutionis usum, con-
simile, ab hoc ipso, tulisse responsum. Sic nostrae, insigni maxime exem-
pli, contigit aetati, ut, extra Europae fines egressa, Latina lingua, in
Chinenium usque penetraret regnum, dignaque, si famae Petropoliti-
tanae credendum, sex abhinc annis, ad nos peruenienti, iudicaretur
ab Imperatore, quae, in gymnasio, a semet condito, Peckingeni, doc-
ceretur publice. Inde non mirum accidit, si orator Chinenis prima-
rius, ad Russorum Imperatricem, A. C. 10 CC XXXII, Petropolini missus,
cum scientiarum doctoribus, fertur inibi Latine instituisse sermones.
Hoc doctrinarum instrumento, ad communicanda, cum uniuerso, qua-
qua pater, literato orbe, ingeniorum monumenta, frequentandaque, ta-
cita quadam innumerabilium prope cultiorum gentium pactione, liter-
rarum commercia, necessario, usi sunt summi uiri, qui, proximis superio-
ribus annis, Vindobonae, ad Danubium, equestri ingeniorum uelitatio-
ni theatrum aperuerunt prorsus memorabile. Factum enim, testibus ta-
bulis rerum nouarum publicis, ut, auspiciis Caesaris, Franciscus Guil. no-
bilis Stockhamerus, augustissimi Caroli VI a consiliis aulae, collegii
redituum, itemque, ab Italorum uoce, *banco*, appellati, in loco, ordinum
Austriacae inferioris conuentibus celebri, eoque dupli buccinarum, et
tympanorum, choro personante, ritu gloriae pleno, sine moderatore,
cum sex aduersariis, munerum pariter, atque eruditionis, splendore,
haud disparibus, tres ultra horas, feliciter congregederetur. Victor, uicto-
riæ in signum, a delegato Caesaris, Aloysio Thoma, s. r. i. Comite Har-
rachio, aureo torque, cum appensa sanctissimi Musagetae imagine, in-

dulgentissima benignitate, donatus, effatum illud Plinianum, *ad huc studiis durare honorem*, exemplo bene cupientis magni dei terrestris, Imperatoris dico, suum cuique decus, editis strenue ingenii speciminibus partum, rependentis, confirmat. Nec, hic reticeri, fas sit, nostra in Musarum sede, emendatissimarum artium, et sapientiae, officina, seuerissimis interdictum mandatis, ex docentium scholis, ne, prauo aliorum more exterorum, Latinae exercitationes exularent, quae, a communi quondam Germaniae praecceptor, Philippo, cum facris, instauratae, atque, ad haec usque tempora, per manus traditae, VVittebergam illustrant, et incorruptae etiamnum elegantiae Romanae uestigia tuentur. Altissimos diuinæ mentis recessus si scrutari paullulum liceat, pie miremur, Numen, exquisitæ elocutionis amans, quemadmodum Mosi Aaronem, ad eripiendum populum Hebraeum ex Aegyptiorum seruitute, eodem modo Luthero Melanchthonem, ad Christi orbem, ex superstitionum tenebris, in lucem, vindicandum, dedisse adiutorem, ut alteri, deo suo, sic enim dicitur a Spiritu S. ille seruaret peritia dicendi, alteri hic excellenti prorsus Graece pariter, ac Latine, scribendi facultate, qui, passim, in epistolis, doctor suus *Graecissimus*, et *Graecanissimus*, a Martino laudatur. Latini nominatim styli, si proprietatem, et perspicuitatem, cum munditia conjunctam, spectes, nulli assequendi ingenio, dote instructus caelo, Philippus, in monumentis illis, commentariisque, emendatae religionis conscribendis, iisdemque deinde Augustae Vindelicum exhibitis, et defensis porro, immortalem nauavit operam Islebiensi, et spirantis Latii imaginem posteritati omni ante oculos proposit. Quamdiu igitur scripta haec Melanchthonis puriora, quibus formula Augustanae Confessionis, et Apologia, continetur, nesciuntur in manibus, et uiua uelut auctoris uoce aures circumsonabunt, tamdiu studiis politioribus, furente licet barbaria, durabit honos, nec Latinae pretium linguae, praemiumque, hac in Academia, amborum monitis heroum illorum adhuc intonantibus, penitus negligetur. Et hoc ipsum est, quod reuera uobis, Candidati reuерendi iuxta, ac per quam colendi sumus demonstraturi, cum, me Ordinis Philosophorum, hoc tempore, Praefide, auctoritate Caesarea aequa, ac Regio Electorali, debiti sapientiae, doctrinique, et, in his, poeticae, honores summi, festis sane ceremoniis, pridie Kalendas Maias, in Romanis, nostris uero fastis, die xxx April. anni proxime sequentis 1000 CC XL, erunt capessendi. Fauente itaque, tum Caesare, ut exemplum supra, in illustri positum documento, nos docet, tum Rege, est, quod, et nostro, et uestro, et publico, nomine, gaudeatis, philosophiae nempe, laudandarum artium, iudicio Ciceronis, procreatri, et quasi parenti, praestantissimum nondum deesse decus, id est, doctoris titulum, insignia, et priuilegia, more maiorum, impertiendum illis, qui, a uulgo eruditorum, interuallo haud exiguo, se iunctos, in gradu altiori, se, cupiunt, collocari, adeoque sacris Ordinis nostri inaugurar. Quod, ut felix, faustumque, sit institutum, ita profitebimini, apud me, nomina uestra, ex ueteri piaे renunciationis, uotorumque, ritu, et Numinis, et reipublicae, utilitatibus consecranda, quos, hisce tabulis, quanta quidem fieri potest humanitate, inuito.

P. P. DOMINICA I. ADVENTVS

A. R. S. 1000 CC XXXIX

VVITTEBERGAE

FORMIS EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI

ACADEMIAE TYPOGRAPHI

MC

De latine linguae dignitate et
quanti etatis a Principibus et priuatis
in Republica vix habetur.

DECANVS ORDINIS PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI GEORG. GVILIELMVS RCHMAIERVS

SSIMI SARMATARVM REGIS
ON. PRINCIPIS EL. CONSILIARIVS
AC. LITERARVM PROF. PYBL

HOC TEMPORE

LI AVCTORITATE CONSTITVTVS
COMES PALATINVS

PHIAE ATQ. ARTIS POETICAE
CANDIDATIS

SALVTEM DICT

Q. AD SOLENNIA DIE XXX APRIL
INSTAVRATAE SALVTIS CIC SITIS
RITE CELEBRANDA
INVITAT



Farbkarte #13

	Inches	Centimetres	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
B.I.G.	8	20									
	7	19									
	6	18									
	5	17									
	4	16									
	3	15									
	2	14									
	1	13									